



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1658.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Hispani Gallis eripiunt Fanum S. Gisse-
ni, Hispanis econtra Galli Fanum S. Venan-
tii & Mommedium ; Cameracum tamen
frustra tentant, Condæo adhuc adversario
eorum conatus egregiè retundente.

Doctrina Janseniana jussu Regis Chri-
stianissimi severissimis decretis à senatu Pa-
risiensi cum suis Professoribus proscribitur.

Societas Jesu operâ sumimi Pontificis in
Dominium Venetorum reducitur, & ab
universo statu honorificentissimis singula-
ris benevolentiae significationib⁹ excipitur.

Cracovia recuperatur à Polonis ope Cæ-
sarianorum.

ANNVS 1658.

Neapolitani accensuēre hoc anno S.
Franciscum Xaverium urbis suæ Pa-
tronis, quod præstitere cā pompā & magni-
ficentiā, ut vix quidquam simile Neapolis
viderit.

Francofurti mense Julio die 28. renun-
tiatus est Cæsar, Leopoldus Hungariæ &
Bohemiarum Rex, eo majore gaudio & plausu
eorum, quibus cōrdi fuit salus Imperii & in-
crementum Domus Astriacæ, quo laboro-
siss ad hoc supremum orbis fastigium vir-
tuti eluctandum fuit.

Accer-

Acerrimè hoc anno pugnatum inter Suecos & Danos , horumque fæderatos Batavos. In Suecorum potestatem cessit insula Fonia; Obsidionem tamen Haffniæ post profligatam suam classem in freto Sundico à navibus Batavis Danorum auxiliaribus cum clade incensis castris solvere coguntur.

Galli suæ ditioni adjiciunt partem non modicam Belgii cum Dünkercka , Grave-linga, Ypris, aliisque urbibus non ignobilibus.

Mense Septembri moritur in Anglia Cromvelius Gubernator magnæ Britanniæ relicto Successore, dignitatis filio Richardo.

Thorunum post cruentam sex mensium obsidionem à Cæsariano - Polonis ad dedicationem cogitur.

Thomas Villanovanus Archi-Episcopus Valentinus i. Novembr, à Papa Sanctorum cætui soleanniter accensetur.

AN N U S 1659.

Iterum ab obsidione Haffniæ cum magnâ clade rejiciuntur Sueci mense Februario à Danis , firmatis subsidio Cæsareo ; Ejusdem ope ejiciuntur Sueci ex insula Fonia, quam anno elapso occupârant, ac fœde diripuerant.

Menfe